

quâdam terrâ quæ dicitur Portus Maonis,<sup>1</sup> de ordine fratrum minorum, testificor et testimonium perhibeo Reverendo Patri fratri Guidotto ministro antedictæ provinciæ sancti Antonii in Marchia Trevissina, cum ab eo fuerim per obedientiam requisitus quod hæc omnia quæ superius scripta sunt, aut propriis oculis vidi aut ab hominibus fide dignis audivi; communis etiam locutio illarum contratarum illa quæ non vidi testatur esse vera.<sup>2</sup> Multa etiam alia ego dimisi quæ scribi non feci, cum ipsa quasi incredibilia apud aliquos viderentur nisi illa propriis oculis conspexissent. Ego autem de die in diem me preparo ad illas contratas accedere, in quibus dispono me mori ut illi placebit a quo cuncta bona procedunt.<sup>4</sup> Prædicta autem fideliter frater Guillelmus de Solagna in scriptis redegit sicut prædictus frater Odorius Boemus ore proprio exprimebat, anno Domini m.ccc.xxx<sup>6</sup> mense Maii Paduæ in loco Sancti Antonii. Nec curavit de latino difficili et curioso ac ornato, sed sicut ille narrabat sic iste scribebat, ad hoc ut omnes facilius intelligerent quæ dicuntur, etc.<sup>6</sup>

[*This is the end of the Parisian MS., No. 2584. The following conclusion is from MS. FAR.*]

52. *De morte fratris Odorici.*

Ipse Beatus Frater Odoricus cum de ultramarinis partibus ad suam provinciam remeasset, marchiam scilicet Trevisanam, presentiam summi Pontificis adire volebat, ut ab eo licentiam peteret per [ut] L fratres, de quâcumque provinciâ essent dummodo ire vellent, secum ducere posset, recessit de Foro Julii unde ipse natus est. Dum esset Pisis gravi infirmitate correptus, quamobrem compulsus est ad propriam [provinciam] remeare. Quapropter in utino de Foro Julii civitate, anno ab incarnatione Domini mcccxxxi, pridie idus Januarii de hoc mundo triumphans pervenit ad gloriam beatorum. Ubi virtutibus et miraculis quam plurimis coruscat. Nam per eum cæci, claudi, muti, surdi sunt saluti, permittente Domino, restituti. Deo gratias. Amen.

<sup>1</sup> *Ven. correctly* Naonis; *Hak.* Vahonis; *Mus.* Nahomonis.

<sup>2</sup> *Ven.* Quæ etiam omnes illarum partium communiter testabantur.

<sup>3</sup> *Hak. incorrectly* Multa etiam alia ego dimissem nisi illa propriis oculis conspexissem.

<sup>4</sup> These last words are not in *Venni*, nor in *Ut*.

<sup>5</sup> *In Ut. this runs as written by William in the first person*—Ego Fr. Gulielmus...redegi...nec curavi de Latino difficili et ornato stilo, sed sicut ille narrabat ego scribebam cum domestico eloquio et communi ad hoc ut omnes facilius intelligerent quæ hic scribuntur, vel in isto libro dicuntur.

<sup>6</sup> *HAK. and MUS. relate the same at greater length, with addition of visions etc., and end by quoting the attestation of the notary Guetellus to the detail of Odoric's miracles, which has been mentioned in the biographical notice prefixed to his Itinerary. BOLL. has substantially the conclusion that is in the text, adding to the mention of the miracles: Hoc testatus est litteris suis in curiâ Papæ Patriarcha Aquileiensis in cujus diœcesi hæc fiunt. Et protestatur Styria et Carinthia et multi de Italia et regiones quam plurimæ circumquaque. And then: Ego Fr. Henricus dictus de Glatz, qui prædicta omnia transcripsi existens Avenione in curiâ D'ni. Papæ anno D'ni. supradicto, si non intellexissem ibidem de felice Fr. Odorico et sociis qui secum fuerant, tot perfectiones et sanctitatis ejus opera, vix aliquibus hic per eum descriptis credere potuissem: Sed coegit me vitæ suæ veritas dictis ejus fidem credulam adhibere. Scripsi autem hæc anno D'ni. trecentesimo quadragesimo in Pragâ circa festum omnium Sanctorum, et copiosius ea audieram in Avenione.*